

tialiter est : nullum enim prædicatum Deo convenit accidentaliter, sed per intimam, et essentialissimam connexionem, siquidem ex vi sui essentialis, et formalis conceptus, qui est actus purus, habet sibi annexum quiddam sibi convenit : ergo idem est convenire Deo aliquid in re, et convenire essentialiter, quia connexio divina cum suis prædicatis est summa; et sic essentialissima. Et hoc argumentum sic solvit S. Thomas et in eisdem fere terminis proponit VIII de potentia, art. II, argumento VI et VII.

XXIV. Dices: Implicat quod aliquid sit essentialiter connexum alicui, et ingrediatur conceptum essentialem ejus; et tamen sit ei inadæquatum, sicut si modus unionis ingreditur constitutionem hominis, tamquam modus, implicat quod non sit illi adæquatus, et inveniatur ubicumque invenitur homo : ergo hoc quod dicimus de essentiali adæquato vel inadæquato est merum commentum ad eludendam vim argumenti.

Respondetur negando antecedens, quando essentia aliqua ob sui amplitudinem, et eminentiam, non uno solum modo, sed pluribus petit terminari. Et de hoc non possumus exemplum omnino quadrans invenire in rebus creatis, sed inveniremus simile, si genera, et species, ut posuit Plato, essent a parte rei subsistentia : tunc enim essentialiter identificarent sibi inferiora sua, si quidem essentialiter essent universalis, peterentque inferiora, et inadæquate essent cum quolibet inferiori divisive sumpto. Essentia autem divina habet vim termini communis respectu Personarum, licet singularis, et subsistens forma sit; unde admittit illam rationem connexionis essentialis inadæquate, vel adæquate, ut dictum est, quod in rebus creatis non est videre. Et hoc totum nascitur ex illo fundamento,

quod Deus quiddam realiter est, essentialiter est : constat autem quod essentia divina realiter, et entitative est Pater, et non est adæquate Pater, id est, solum Pater, quia etiam est Filius : ergo est inadæquate : ergo etiam est essentialiter inadæquate, quia hæc est divinitatis vis, ut idem sit in ea esse realiter tale, et essentialiter tale, id est, per summam connexionem.

XXV. Ad primam confirmationem respondetur, quod in illo priori originis intelligitur a nobis tota essentia divina, sed non totaliter, quia non explicatur pro illo signo omne quod pertinet ad essentiam divinam, etiam tamquam modificativum et terminativum ejus inadæquate : quia enim illa prioritas non est prioritas rei, sed intelligentiæ, et rationis, ibi tunc est essentia cum omni eo quod pertinet ad se, etiam notionaliter, et relative; sed quia nos per nostram intelligentiam dividimus id quod ibi est, concipimus id quod essentiæ quantum ad absoluta, et quantum ad id quod communicabile est per generationem, non quantum ad relativa, et modificativa essentiæ, quod est non totaliter exprimere quæ ad essentiam pertinent, licet tota essentia exprimitur. Et licet pro illo priori Pater intelligatur comprehendere se, et totum quod est in Deo, non tamen hoc convincit quod pro illo priori intelligatur Persona Filii, ut producta, licet intelligatur objective a Patre attacta, et cognita, si quidem ex cognitione sui, et creaturarum procedit, ut infra disputatione XV ostendimus: ergo prius intelligitur cognosci ut objectum, quam exprimi, et procedere ut genitum, quia ex cognitione Patris generatur.

Ad secundam confirmationem respondetur, quod essentia una existens non admittit distinctionem in absolutis, bene tamen in relativis : unde

quoad absoluta non constituitur relatione sub formalitate, et præcisione absoluti. Sed absolutum, ut est ratio non sistens in ratione absoluti, sed complectens etiam genus relativum ob sui eminentiam, sic etiam in relativo constituitur, quia pertinet ad illam essentiam, ut est actus purus, et ambiens omnem perfectionem, et rationem divinam, etiam essentialiter continere relationem, quia si realiter continet, etiam essentialiter, et ab intrinseco. Et sic essentia, ut dicit præcise conceptum naturæ condistinguitur a relatione, nec per eam constituitur in tali conceptu, quia relatio pertinet ad munus, et conceptum Personæ, non naturæ, ut autem dicit rationem quasi transcendentem actus puri, et entis increati, sic utrumque genus includit, et absolutum, et relativum, relationesque essentialiter includit ut terminos, et modificativa quædam essentiæ.

XXVI. Et cum urgetur commune argumentum, quod communicatur tota essentia, et non paternitas, distingo; communicatur essentia sub conceptu absoluto, et sub præcisa ratione essentiæ, concedo; sub omni modo et inclusione talis essentiæ, nego, quia non sub modo paternitatis. Item communicatur tota essentia, sed non totaliter, id est, non sub omni modo incluso in tali essentia pertinente ad ejus terminationem, et subsistentiam. Et sic relatio non est de conceptu essentiæ ut constituens rationem absolutam, et quid ditativam, est tamen de conceptu essentiæ ut modificativum, et terminativum ejus.

XXVII. Ad id quod ultimo proponitur respondetur, quod id quod est essentialiter, et intrinsecum alicui, potest ab eo præscindere, si inadæquato, et imperfecto conceptu concipiatur, non si perfecto, et adæquato, sicut qui concipit hominem

sub conceptu generis proximi, v. g. animalis, et differentie ultimæ, scilicet rationalis, essentiam hominis concipit, licet non explicet gradus superiores ut corpus, substantiam, etc. Et tamen quis neget hos gradus esse homini essentielles? Nec tamen ab illis præscindit essentia hominis præcissione exclusiva, quasi illos non includat, aut impotentia ad eos sit, sed præcissione non expressiva, seu per non explicationem, quia licet ibi includantur, non tamen ibi explicantur. Ut enim advertimus præcedenti tomo, disput. IV, art. VI, duplex est præcisio, alia per non inclusionem, quando aliquid ita segregatur ab alio, quod solum remanet in potentia ad illud : alia per solam non expressionem, quando aliquid actu quidem includit aliud, sed non explicat illud, qua ratione transcendentia præscindunt ab inferioribus, et actus purus, seu divina essentia a suis attributis, et rationibus quas includit, nunquam ab illis sic præscindit, quod remaneat in potentia, sed potest sic explicare unum, quod non aliud, licet omnia essentialiter includat, quia non plene, et totaliter explicatur totum quod pertinet ad essentiam. Cum vero dicitur quod sic omnia erunt in Deo formaliter idem, et non solum identice, respondetur quod omnia sunt formaliter idem, si ly formaliter sit idem quod essentialiter, seu in primo modo per se, non enim aliter sunt idem. Sed non omnia sunt formaliter idem formalitate præcisionis, et appellationis, sicut nec in quarto modo per se.

XXVIII. Secundo arguitur ex p. Vasquez hic disput. CXXI, cap. II. Relatio concipitur advenire essentiæ : ergo non includere illam formaliter; alias si includeret, quomodo ei adveniret. Et præsertim, quia relatio ita concipitur advenire essentiæ, quod determinat eam : id

autem quod determinatur, non continetur in conceptu determinantis, vel e contra. Nec obstat exemplum de ente, quod determinatur per modos contrahentes, et tamen in illis includitur. Contra enim est, quia ens non significat aliquam rationem communem, quæ determinatur per particulares, sed solum nomen est commune; in præsentia autem essentia realiter, et vere communis est Personis.

Confirmatur, quia si essentia includeretur in conceptu relationis, hæc esset vera: Paternitas est essentia, unde sequeretur quod paternitate Deus intelligeret, et paternitate esset sapiens; et similiter filiatione seu Verbo, quia essentia est paternitas, et essentia est sapiens, et intelligens. Non conceditur autem a theologis, quod Deus est sapiens sapientia genita.

Confirmatur secundo, quia si relatio includeret essentiam, sequeretur quod relatio non constituit Personam. Consequens non admittimus, ergo. Sequela probatur, quia Persona non est aliud quam essentia determinata per ipsam relationem; si ergo relatio includit essentiam, jam relatio est Persona: ergo non est id quo constituitur Persona, si quidem Persona non constituitur Persona, tamquam forma, sed est res constituta.

Respondetur, quod relatio intelligitur advenire essentia, non ut aliquid extrinsecum, et totaliter præcisum ab ipsa, quasi essentia maneat in potentia, et non habeat in se actu ipsam relationem, cum essentia sit actus purus, et ad nihil in potentia: dicitur ergo advenire, et determinare essentiam, non sicut differentia determinat genus ad quod comparatur tamquam actu ad potentiam, sed ut aliquid magis explicitum, id quod est minus explicitum et magis in confuso significatum.

Essentia quippe divina sub hoc nomine significata solum significat esse divinum in tota sua amplitudine, et ut in confuso includit omnem perfectionem, cum vero explicatur relatio, determinatur, et explicatur id quod determinatam quamdam perfectionem aut rationem explicat in Deo, quæ priori conceptu essentia non explicabatur, licet ibi includebatur, non vero additur aliquid quod in essentia vel natura actu, et essentiali connexionem non includeretur. Itaque determinatio ista, et adventus relationis, non fit per additionem unius ad aliud, quia in Deo est impossibilis omnis compositio, etiam per intellectum nostrum, cum repugnet summæ simplicitati, et actui puro; et consequenter est impossibilis omnis additio, seu accumulatio unius ad aliud, sed ratione actus puri, quidquid divinum est, actu includit. Fit ergo adventus, et determinatio relationis ad essentiam per novam explicationem ejus quod antea non exprimebatur in conceptu illius rei, licet includebatur, non per additionem, aut compositionem unius cum alio. Quod vero dicitur ens solo nomine esse commune, est dicere, quod ens non est analogum, sed pure æquivocum, cujus contrarium ex D. Thoma ostendimus in logica q. XIII et XIV.

XXIX. Ad primam confirmationem respondetur veram esse illam propositionem: Paternitas est essentia, sed non conceduntur aliæ propositiones: Paternitate Deus est sapiens, aut filiatione, vel Verbo, quia ex modo significandi, fit ibi formalis significatio, et applicatio paternitatis sub proprio, et formali conceptu relativo, sub quo distinguitur ab absoluto. Et sub conceptu relativo constituit Deum relatam, seu Patrem, non sapientem, qui est conceptus perfectionis absolutæ. Unde cum significatur

aliquid sub formalitate, et præcisione proprii conceptus, non potest concedi, quod sub illa formalitate, et præcisione tribuat effectum formalem, qui pertinet ad alteram præcisionem, seu formalitatem. Et licet essentia divina in re sit totum hoc; et identice illa re, quæ est paternitas, sit sapiens, et illa re, quæ est sapientia, sit Pater, tamen quia in illa essentia propter suam eminentiam plures rationes, et perfectiones distinguuntur, et significantur nostro modo intelligendi; ideo ex modo significandi aliquem terminum sub aliqua formalitate, et præcisione, non concedimus aliquas propositiones, licet sint circa eandem rem, quæ essentialiter est omnia illa, et intrinsece, ob diversum modum significandi. Non enim dicimus quod per voluntatem procedit Filius, sed per intellectum, et Spiritus sanctus per voluntatem, et tamen voluntas, et intellectus in Deo sunt omnino unum, et idem essentialiter. Certe non potest negare Vasquez quod deitas sit de conceptu intrinseco, et essentiali Dei, quia per deitatem essentialiter constituitur, et tamen in doctrina fidei Deus generat, et deitas non generat, propter diversum modum significandi terminorum: ergo non mirum quod licet paternitas, sit de essentiali conceptu divinæ essentia et sapientia, etc. tamen paternitate non sit sapiens, sed essentia propter diversum modum significandi, et diversam formalitatem, et præcisionem, qua explicatur unum, et aliud.

Ad secundam confirmationem respondetur illud argumentum esse plane sophisticum, et instari manifeste in exemplo allato de Deo, et deitate. Nam deitate constituitur Deus tamquam forma, et tamen deitas ipsa est Deus, etiam in concreto: nam quidquid in Deo est, Deus est, et dicere quod divinitas

non sit Deus, impiissimum est, ut Bernardus sermone LXXX in Cantica dicit contra Gilbertum. Similiter relatione constituitur Persona, et ipsa relatio est Persona, et est essentia, et est Deus, nec tamen Persona constituitur Persona, sed personalitate, et relatione, sicut nec Deus constituitur Deo, sed deitate ut forma, licet etiam ipsa deitas Deus sit. Quia in divinis abstracta prædicantur de concretis, et e contra, eo quod ita non differant nisi secundum modum significandi, non ex parte rei significatæ. Sic ergo ad argumentum in forma dicimus negando sequelam. Ad probationem: Persona non est aliud quam essentia determinata per relationem, distinguo; nihil aliud est quam essentia sub conceptu communi, et quasi transcendentali essentia, nego; sub conceptu essentia, ut est natura terminabilis per personalitates relativas, transeat. Ad consequentiam: Ergo si relatio includit essentiam, jam relatio erit Persona, distinguo: si relatio includit essentiam sub conceptu naturæ terminabilis a personabilitate, erit Persona, concedo; si includit solum sub communi, et transcendentali conceptu entis increati, quod est commune omni rei divinæ, sequitur quod sit Persona, nego; sed sufficit quod sit personalitas, seu forma terminans, et constituens Personam quæ quidem identice, et realiter Persona est, sed ex modo significandi, solum significatur ut forma, seu terminus Personæ, non ut Persona ipsa constituta, sicut deitas significatur ut forma constituens Deum, ex modo significandi, licet ex parte rei significatæ Deus sit. Unde cum infertur, quod relatio erit Persona, si includit essentiam, quia Persona non constituitur Persona, distinguo; erit Persona si includit essentiam cum tali modo significandi, quod significet

tur per modum constituti ex essentia, ut natura, et relatione, ut termino, concedo; si cum tali modo significandi quod significetur per modum formæ, seu termini constituentis, et includentis essentiam modo communi, et quasi transcendentali tantum, nego; sic enim est essentia per modum formæ Personam constituentis, non per modum Personæ constitutæ. Et quia essentia divina omnibus istis modis significari potest, in concreto, et in abstracto, ut forma constituens, et ut res constituta, quia omnia ista Deus sunt cum intra Deum sint, fit quod ex inclusione essentiae in relatione quomodocumque, non sequitur quod sit Persona, nisi etiam ex modo significandi, significetur ut constitutum, non ut forma constituens. Si autem includat essentiam, et significetur ut forma, non sequitur quod sit Persona, sed personalitas.

XXX. Ex his manent etiam soluta quædam inconvenientia quæ tamquam sophismata objici possunt contra nostram sententiam. Nam primo sequitur quod posset filiatio esse de conceptu paternitatis, si est de conceptu essentiae: nam essentia est de conceptu Patris, filiatio est de conceptu essentiae; ergo filiatio est de conceptu Patris. Secundo, sequitur quod essentia posset concipi conceptu relativo: consequens est absurdum: ergo et nostra sententia. Sequela probatur, quia essentia potest concipi eo conceptu quo constituitur, et est de ejus essentia, sed per se constituitur relatione: ergo potest concipi conceptu relativo. Minor patet, quia conceptus relativus est incommunicabilis, conceptus vero essentiae est communicabilis, et ideo essentia non generat, nec generatur, quia relative non se habet. Tertio, sequitur quod aliquid sit de conceptu essentiae in Patre, quod non est de

conceptu essentiae in Filio, consequens est absurdum: ergo. Minor patet, quia alias non esset eadem essentia in Patre et Filio, si quidem aliquid haberet de conceptu essentiali in uno, quod non in altero. Et sequela probatur quia Paternitas est de conceptu essentiae non adæquate, prout in omnibus Personis, alias paternitas communicaretur Filio, quod est hæreticum: solum ergo est de conceptu essentiae inadæquate sumptæ, scilicet prout in Patre: non ergo est de conceptu essentiae, prout in Filio: aliquid ergo est de conceptu essentiae in Patre, quod non est de ejus conceptu prout in Filio. Quarto, sequitur illud vulgare inconveniens quod Pater non communicaret Filio totam essentiam, quia non communicaret totum quod est de conceptu essentiae, scilicet relationem.

XXXI. Hac et alia similia sophismata ex dictis solvuntur.

Ad primum dicitur peccare illud sophisma sicut et illud vulgare: Pater est hæc essentia divina: hæc essentia divina: est Filius: ergo Pater est Filius; consequentia non valet, etiam loquendo realiter, et identice, quia mutatur quid in aliquid quæ est fallacia accidentis: ita enim Pater est hæc essentia, et hæc essentia est Pater, quod non adæquate est Pater, sed etiam Filius, unde non sequitur ex identificatione Patris cum essentia, quod identificetur cum omni alia relatione essentiae. Idem peccatum est in eadem consequentia, addito essentialiter, quia in divinis perinde se habet quod Pater sit Deus realiter, et quod sit essentialiter, vel etiam Deus sit Pater essentialiter: quidquid enim Deus est, essentialiter est.

Ad secundum distinguitur sequela. Sequitur quod essentia possit concipi conceptu relativo, sub præ-

ciso, et explicito conceptu essentiae, et ex modo significandi essentiam, nego; sub alio conceptu explicante modum, et terminationem personalem essentiae, transeat: sed hoc non erit sub conceptu essentiae, nec ut significatur illo nomine essentiae. Et ad probationem quod essentia potest concipi eo conceptu quo constituitur distinguo; si adæquate concipiatur, et explicetur, concedo; si inadæquate, nego; nec enim in conceptu inadæquato, et præciso oportet explicari omne quo constituitur in se, sed omne quo constituitur sub illa præcisione, et explicatione. Essentia autem explicat omne quod est constitutum essentiae, sub ratione quid, sed non omne constitutum sub ratione ad aliquid, seu sub ratione modi, quia non explicat omne quod est modificativum talis essentiae, et hoc modificativum etiam essentialiter est Deus, seu essentia divina, quia non habet aliam essentiam, et essentia divina, ob suæ perfectionis illimitationem, etiam talem modum essentialiter includit, quia omne esse divinum essentialiter includit; sed non sub omni conceptu explicat totum quod essentialiter includit; et sic prout explicatur sub conceptu essentiae, in quo præscindit a modificativis, non explicatur conceptu relativo, et incommunicabili, licet relativam rationem ibi includat.

Ad tertium respondetur distinguendo sequelam. Aliquid est de conceptu essentiae, prout in Patre, quod non est de conceptu essentiae prout in Filio, distinguo; quantum ad modificationem essentiae, transeat; quantum ad constitutiva essentiae, nego, id est, quantum ad aliquid, sed non quantum ad quid. Et sic cum infertur, quod erit alterius rationis essentia in Patre, quam in Filio, distinguo; alterius rationis

quantum ad constitutiva essentiae, et quantum ad quid, nego; alterius rationis, quantum ad modificativum, et quantum ad aliquid, transeat; opponitur enim una relatio alteri, et sic quoad hoc est alterius rationis. Unde non potest sequi, quod aliquid sit de conceptu essentiae in una Persona, quod non sit in alia simpliciter loquendo, sed solum quoad modificationem inadæquatam, et relativam.

Ad quartum jam supra responsum est quod Pater communicat totam essentiam Filio, sed non totaliter, et sub omni modificatione, id est, totam quantum ad quid, sed non quantum ad aliquid.

### ARTICULUS III.

*Utrum tres relationes dicant tres perfectiones, existentias, et alia similia attributa multiplicent?*

I. Certum est quod sicut divinitas multiplicari non potest in Personis substantive, ita nec attributa, quæ omnino absoluta sunt, et non communiter prædicantur de relativo, et absoluto multiplicari non possunt substantive.

Et ratio est manifesta, quia in perfectionibus absolutis, nulla datur oppositio, nec relativa, quia absolute sunt, nec privativa, aut negativa, vel contraria, quia illimitatae sunt, nec ipsa oppositio per negationem, aut privationem fundari potest nisi in limitatione, et imperfectione, ut disputatione præcedenti, articulo quarto ponderatum est. Quare attributa ista non magis multiplicari possunt, et distingui quam divinitas ipsa. Unde in symbolo Athanasii dicitur: « Non tres æterni, sed unus æternus; non tres omnipotentes, sed unus omnipotens, etc. » quod intelligitur substantive: nam adjec-